

Cognatio evidentissima est in basibus, qua cum Iupiter, Venus, Mercurius (planetam dico pro corpore) eadem tantur, causam habemus eorum amicitiae, ut supra. Nam stabilitas in est triangulo primum.

Alter gradus est, planum apprens cum angulo ceu umbilico. Ne miremur igitur amplius ecquid deliciarum penes durum & igneum Martem lateat, cuius causa delicatula Venus mariti frustrata thalamum cum Marte conspirauerit. Nam Martis quinquangularum est in Venere. Sic Saturni quadrangulum in Mercurio conciliat eosdem utrique mores. Tertius gradus est, cum idem eiusdem in duobus est vel apparet: Et tum illis in causis communis amiciconuenit. Igitur in rebus Iouijs conuenit Venericum Mercurio, quia communi Iouis utuntur basi. In Saturnijs consentit Mercurius cum Marte parumper, quia in illo Saturni quadratum, in hoc tectus cubus est. Apparet etiam hinc cur Venericum Saturno nulla cognatio, & quæ potissima, & cur Mercurij versatile ingenium omnibus quatuor sese applicet, minimum tamen Marti.

Etiam Saturnus solitarius est, amansque solitudinis, planè, ut eius anguli rectitudo non potest ferre ullam inæqualitatem vel minimam, cuius gratia multiplex fiat. Contrà Iupiter è genere infinitorum acutorum unum angulum nactus popularis ideo factus est, moderatè tamen & temperanter. Author enim est amicitarum honestiorum. Ita Mars & Venus populares & ipsi sunt, sed nimium. Nam obtusus & prodigus ipsorum angulus intemperantiam notat. Mercurius de natura Saturni & Iouis est ratione anguli. Et amant literati quidem solitudinem, sed inhumani tamen non sunt. Amant eos, qui iisdem studijs oblectantur: modumque statuunt in conuersationibus, plus quam Iupiter, cuius omnis actio est in cœtibus hominum, interque purpuratos.

Iupiter & Venus fœcundi sunt. Sanè quia Iupiter facit ad plærorumque compositionem, Venus autem Iouis quasi soboles est, cum una Venus viginti Ioues breuiuscumlos in se contineat. Iupiter autem in mares æquior, Venus in fœminas: unde ille mas dicitur, haec fœmina. Pyramis enim efficax est, Icosaedron effectum, & soboles. Ex his iisdem principijs aliquantò explicatior causa redditur, quare Mercurius promiscui sexus sit, & quare in fœcunditate mediocris.

Iouis